



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Tertia Seraphica Vinea, Sive Tertius Ordo De Poenitentia
à S.P.N. Francisco institutus**

Pauck, Engelbert

Coloniae, 1720

Num. 102. Eodem modo confirmat dicta Privilegia pro tribus Ordinibus S.
Francisci in Bulla Pastoralis officii Clemens VIII.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64103](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64103)

Clausulæ Bullæ Sixtinæ: *Etsi Mendicantium.* est, prout sequitur. *Ordinem Fratrum Minorum* [quem & Nos professi olim sumus] Summo semper studio amplexi sumus; ad summi tamen Apostolatûs apicem assumpti; dum id mente recolimus: minus facere non possumus, quàm ut eundem Ordinem de Observantia propensiori affectu prosequamur. Nos igitur. &c. omnes gratias, indulgentias favores peccatorum remissiones, prærogativas, concessiones, Indulta spiritualia. &c. etiam per modum communicationis & extensionis, inter se; & cum aliis Ordinibus mendicantibus, ejusdem Fratrum Minorum Regularis Observantiæ, & S. Claræ, & de Pœnitentia tertio Ordini, etiam in Congregatione, sub III. Votorum essentialium Professione, Fratribus, Monialibus Sororibus, ac utriusque sexûs, etiam Personis singularibus, nec non Monasteriis, Domibus, Ecclesiis, & locis quibuscunque, in genere, & in specie, etiam per solam Signaturam; etiam vivæ vocis oraculo, ut præferatur (aut aliàs per eosdem Romanos Pontifices Prædecessores nostros, ac Nos, ac Sedem prædictam, sub quacunque forma, & expressione verborum concessa; nec non omnibus, & singulis; in eis forsan contentis Clausulis. &c. & quæcunque Decreta inserta. &c. Ac si de verbo, ad verbum, in præsentem infererentur, pro sufficienter expressis habentes; Auctoritate Apostolicâ, tenore præsentium, ex certa scientia in his omnibus approbamus, & confirmamus; nec non Ordinibus Fratrum Minorum de Observantia, S. Claræ, & tertio de Pœnitentia nuncupato; etiam in Religione, sub Obedientia Fratrum Minorum de Observ. degentibus, Superioribus Fratribus, Monialibus, etiam Tertiariis nuncupatis, Sororibus, Personis, Monasteriis, Domibus, Ecclesiis, & locis etiam per modum communicationis & extensionis hujus-

modi suffragari; illisq; uti, frui, & gaudere; quando, & quoties opus fuerit, posse & debere in Judicio, & extra; ac etiam in foro conscientiæ, in omnibus & per omnia, ac si specialiter & expressè iisdem Fratrum Minorum, & S. Claræ, & tertio de Pœnitentia, Ordinibus, per nos concessa fuissent, decernimus; suppletentes quoscunque defectus de plenitudine potestatis. Non obstantibus quibuscunque. &c.)

CII. **C**lemens VIII. in Bulla: *Pastoralis Officii.* confirmat omnium Privilegiorum Fratribus Minoribus de Observ. concessorum communionem, & participationem cum Ordine Monialium S. Claræ, & Tertio de Pœnitentia nuncupato. Anno 1597. Pontificatûs sui anno 6. Romæ ad S. Petrum die 20. Decemb. Habetur in *Bullario Roderiquez fol. 522. Bullâ primâ Clementis VIII.*

CIII. **I**N Directorio P. Diaz. fol. 295. reperitur etiam Decretum S. Congregationis Episcop. & Reg. præfectæ; in quo declaratur tenore sequenti: *Quo ad Communicationem Indulgentiarum,* & gratiarum spiritualium, quibus Religiosi S. FRANCISCI fruuntur: S. Congregatio censuit, Oratricibus Monialibus indulgeri posse. 7. Septemb. 1685.

Cardinalis Carpineus Præfectus.

B. Panciaticus Secretarius.

Omnimodam quodque communicationem gratiarum spiritualium, inter tres Ordines S. Francisci concesserunt *Clemens VIII.* in Brevi: *Quæcunque à Sede.* &c. *Paulus V.* in Brevi: *Cum certus.* &c. *Greg. XV.* in Brevi: *Injuncti nobis.* &c. & *INNOCENTIUS XI.* in suo Brevi: sub die 5ta Sept. Anno Domini 1686. & die 15. Maji. 1688. ut patet ex constitutione sequenti, quæ reperitur *authentizata in Direct. 3. Ordinum pag. 211.*

Con-